



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola LXVII. Ioannis Papae VIII. Ad Neapolitanos. Laudat eos, quod zelo  
diuino accensi Sergium a se abiecerint, & Athanasium episcopum suaे  
reipublicae rectorem elegrint: praecipit vt ei pareant, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

vir de domo Domini, qui timorem Dei præ oculis habens regat populum Christi in omni iustitia & sanctitate, in omni veritate & mansuetudine, ut pastor idoneus, & non velut mercenarius deserat & disperdat: & ideo ea quæ vestræ dignitati, vel honori congrua ac necessaria sunt, perpetua nihilo minus stabilitate confirmamus; tantum ampliori nunc studio, curaque multiplici pro defensione sanctæ Dei ecclesiæ tibi commissæ stare ac desudare, quatenus salua securaque consistat, ut procures, his nostris apostolicis prudentiam vestram exhortamur apicibus. Nos namque, aliis omnibus mancosis datis, mille quadringentos vobis dare debemus, quos vestræ dilectioni, aut in initio quadragesimæ, aut in die sanctæ resurrectionis vobis procul dubio dirigemus. Porro hunc Petrum venerabilem diaconum vestrum, quia eum vestræ ecclesiæ, & ciuitati Neapolitanæ in omnibus fidelem esse cognoscimus, vobis in omnibus commendamus, & pro nostro eum amore benigne semper retinere dignemini. Data ut supra.

## EPISTOLA LXVII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD NEAPOLITANOS.

Laudat eos, quod zelo diuino accensi Sergium a se abiecerint, & Athanasium episcopum suæ reipublicæ rectorem elegerint: præcipit ut ei pareant, offerens se vna cum ipso eorum commodis consulturum.

*Omnibus eximiis iudicibus, & uniuerso populo Neapolitanæ ciuitatis.*

**Q**VANTA veræ fidei deuotione circa Deum creatorem & saluatorem mundi atque erga ecclesiam Christi ferueatis, luce clarius ecce cognoscimus, cum tantæ impietatis virum, perditionis scilicet filium, & totius iniquitatis vas vobis inique dominantem, Sergium nempe magistrum militum, secundum videlicet Holofernem, zelo replete diuino, abiicere, ac velut membrum foetidum a corpore Christi abscidere, proculque abiicere studiis secundum Domini præceptum dicentis: *Si oculus tuus, vel manus tua scandalizat te, erue eum, & proice a te:* & quia illo abiecto pastorem & episcopum animarum vestrarum,

L iij

Athanasiū videlicet, dilectum confratrem, & vnanimem filium nostrum habere iudicem elegistis, innumeras vestræ dilecta prudentia, & vnanimitati gratias agimus, quoniam, sicut Dei ministri, iram Domini exercituum, quæ iam meritis imminebat illius, in eo vlcisci procurasti, qui nimurum multa & inaudita mala plusquam omnes patres suos in ciuitate Neapolitana, & in finibus nostris nequiter facere non dubitauit, cum innumeram hominum multitudinem, infantum & mulierum cateruam gladio, fame, atque captiuitate crudeliter peremisset. His igitur nostris apostolicis literis nobilitatem vestram filioi mei monemus atque hortamur, ut præfatum Athanasiū confratrem nostrum venerabilem episcopum vestrum, sicut diuina inspiratione docti loco rectoris habere elegistis, fidelimente ac deuotione cum omni honore habere studeatis: quoniam nos cum illo in omni vestro adiutorio, in omni vestra utilitate prompti existimus, parique voto vos adiuuare desideramus: tantum stante viriliter obedientes illi in omnibus, velut filii carissimi. Porro quia iam, aliis omnibus datis mancosis, mille quadringentos vobis dare debemus, ne turbemini: quia eos vel in initio quadragesimæ, vel in die sanctæ resurrectionis, vobis procul dubio dirigemus. Vos tantum ut filii carissimi aduersus infideles & communes inimicos totis viribus pro defensione ecclesiæ Dei desudare satagite: quatenus, & Dei gratiam, & nostram semper benedictionem habeatis. Bene vos optamus in Domino. Data ut supra.

## EPISTOLA LXVIII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD LAMBERTVM COMITEM.

Scribit se in Galliam velle profici sci, ideo sub excommunicationis poena præcipit, ne se absente Romanæ ecclesiæ territorio, vel Romæ aliquod damnum inferat.

*Nobili viro Lamberto glorioſo comiti.*

**S**AGACITATI ac prudentia vestræ notum esse volimus, quia non solum pro affiduis Paganorum infestationibus, quas ecce iam biennium nemine defensionis no-